

nat Hebraica dictio: quæ tamen nomen proprium illius viri qui postea fuit sacerdos, est. *dicendo, translata est gloria domini de Israel.* Iuxta Hebræum habetur. *reuolutus est honor ab Israel.* Ratio nominis impositi filio redditur. Et quadrat ratio utriusque sensui, nam reuolutio honoris ex Israel, seruit & migrationi significatæ ubi honor, & negationi significatæ non honor. *quia capta est arca Dei.* Iuxta Hebræum tria hæc (videlicet capta arca, & focer & maritus) simul ordinantur in casu accusatiuo immediatè post illa verba reuolutus est honor de Israel. Ita quòd subiungitur, *ad esse captam arcam Elohim & ad sacerum suum & maritum suum.* Et est sensus, quòd impositus hoc nomen relatiuè ad hæc tria. Deinde immediatè subiungitur, *Et dixit: reuolutus est honor ab Israel, quia capta est arca Elohim.* Duo dixerat mulier: alterum est Icthabod, alterum est, reuolutus est honor ab Israel. & in litera declaratur ad quid retulit mulier ambo. Prius enim declaratur quòd nomen infantis retulit ad tria: ad arcam, ad focerum & ad maritum: modò declarat quòd reuolutionem gloriæ retulit ad arcam Elohim captam.

## CAPVT V.

**P** *Elishim autem tulerunt arcam Dei: & asportauerunt eam à lapide adiutorij in Asdod. Tuleruntque Pelisthim arcam Dei, & intulerunt eam in domum Dagon: & statuerunt eam iuxta Dagon.* An causa honorandi arcam, an causa honorandi Dagon posuerint arcam Dei iuxta Dagon, incertum est. utriusque enim intelligi potest. Primum tamè magis insinuat ex situ: videlicet quòd ad latus Dagon iuxta Hebraicam veritatem posuerunt eam. Secundum autem magis quadrat elatæ victoriæ, ut arcam tanquam trophæa posuerint coram Dagon Deo eorum. *Surrexeruntque Asdodij in crastino. & ecce Dagon ceciderat in faciem suam in terram coram arca domini.* Verè Deus semper vititur malis ad bonum. & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. *Et surrexerunt mane in crastino, & ecce Dagon ceciderat in faciem suam in terram coram arca domini.* Verè mostrat Deus Israel non fuisse se victum à Deo Pelisthinorum hoc manifesto miraculo. *caputque Dagon & duæ palmæ manuum eius abscisse erant ad limen, porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Iuxta Hebræum habetur, tantum Dagon relictus est super ipsum. Considera prudens lector, quòd hæc secunda vicè Dagon cecidit in faciem suam ad terram, coram arca,

arca, & quòd caput & manus incisæ super limen fuerunt: & sic intellige textum istum sonare non quòd Dagon truncus relictus fuerit in loco suo (iam enim dictum est quòd cecidit in terram super faciem suam) sed sonare quòd in ipso idolo non remansit nisi Dagon: hoc est forma piscis. apud Hebræos siquidem Dagon sonat piscem. Et aiunt idolum illud fuisse idolum hominis mixti pisci: ita quòd caput & manus erant hominis, reliquū verò corpus erat piscis. Et hoc valde quadrat literæ Hebraicæ, clarè sonanti tantum Dagon relictus fuit super ipsum. abscissis enim membris humanis, tantum piscis relictus est in ipso, prostrato coram arca Dei. *Propter hæc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur domum Dagon super limen Dagon in Asdod, vsque in presentem diem.* Ex vsu deinde ingredientium templum Dagon in ciuitate Azoti, manifestat seruari memoriam tati miraculi. *Aggravata est autem manus domini super Asdodios, & demolitus est eos: & percussit eos mariscus, Asdod & fines eius.* Primū percussit Deus Pelisthinorum Deum: deinde percussit homines ciuitatis Azoti. *Et ebullierunt villa & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures: & facta est confusio moris magna in ciuitate.* Vniuersa hæc clausula superflua est: nam in Hebræo non habetur.

**V**identes autem viri Asdodij huiusmodi plagam, dixerunt: non maneat arca Dei Israel apud nos. Nomen est Elohe Israel. & idem nomen repetitur in subsequentibus ter. quia dura est manus eius super nos & super Dagon Deum nostrum. Miseruntque & congregauerunt omnes satrapas Pelisthinorum ad se, & dixerunt quid faciemus arcam Dei Israel: respoderuntque Gethi circūducatur arca Dei Israel, & circūduxerunt arcam Dei Israel. Et fuit postquā circūduxerunt eam fuit manus domini super singulas ciuitates. Iuxta Hebræum habetur, in ciuitatem contritione magna valde. Verum an sit sermo de sola ciuitate Geth, an ut interpres intellexit de singulis ciuitatibus, non est perspicuum. nam & inferius ubi vulgata editio habet. & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis. Iuxta Heb. habetur. & percussit viros ciuitatis à paruo vsque ad magnum. Iuxta tamè ordinem literæ ciuitas Geth significari videtur, ex eo quòd subiugitur missio arce ad Hecron. & coputrescunt prominetes extrales coruæ. Iuxta Heb. habetur. & fuerunt abscōdita eis marisca. Ad interiora corporis retracta plaga mariscarum describitur. Quod autè subditur in vulgata editione. *Inieruntque Gethi cōsiliū, & fecerunt sibi sedes pelliceas, superfluum*

psella à latere eius: & dimittite eam vt vadat. Et aspiciete, si via finium suorum ascenderit in Bethsemes, ipse fecit nobis hoc malū magnum: & si non, sciemus quòd non manus eius tetigit nos, sed accidit fuit nobis. Connumerant sacerdotes ac diuini seipfos patientibus ratione amicitia. & diuino factum est nutu vt humana præsumptione statuerent sibiipsis signum discernēdi auctoritatem plagarum illarum, an fuerit Deus Israel, an casu euenierint istæ plagæ simul cum arca Dei.

**F**eceruntq; viri sic: & tulerunt duas vaccas lactantes & ligauerunt in plaustrum, & filios earum recluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum: & Capellam & aures aureas & imagines mariscarum suarum. Et direxerunt se vacca in viam quæ ducit Bethsemes, itinere vno inierunt cundo & mugiendo, & non declinauerunt ad dexteram & ad sinistram: & satrapa Pelisthinorum inuenit post eas vsque ad terminū Bethsemes. Porro Bethsemita mordebant triticum in valle: & cum eleuassent oculos suos viderunt arcam, & gauisi sunt cum vidissent. Legendum est, ad videndum. Peccatum describitur Bethsemitarum, non quòd primum viderint arcam Dei, sed quòd lætati sunt ad videndum eam: nunquam enim secundum legem populus videbat arcam Dei: immò & Leuitæ non nisi inuolutam à sacerdotibus videbant eam cum vecturi essent illam: vt patet Nume. 4. vbi clarè mors scribitur imminere si aliter viderint eam. Lætitia itaque ad videndum (quæ & perseuerantiam & concursum ad videndum arcam Dei infinuat) culpatur, Et plaustrum venit in agrum Iehosue Bethsemita & stetit ibi, & ibi erat lapis grandis: cecideruntq; ligna plaustrum, & vaccas immolauerunt in holocaustum domino.

Et leuitæ deposuerunt arcam domini. Quâuis errauerint circa visionem non errauerunt tamen circa tactū: verum & hic quia nihil dicitur de adhibito velamine, Leuitarū quoq; peccatū omittendo velare arcam non caret suspitione. & capellam quæ erat cum ea in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem: homines autem Bethsemita obtulerunt holocausta & immolauerunt victimas in die illa domino. Et quinque satrapæ Pelisthinorum viderunt: & reuersi sunt in Hecron in die illa.

Iste autem sunt marisca aurea quas reddiderunt Pelisthim pro delicto domino: pro Aslod vna, pro Haxxa vna, pro Ascelon vna, pro Gharb vna, pro Hecron vna. Et mures auri secundum numerum ciuitatum Pelisthim quinque proninciarum. Legendum est,

quinque

quinque dominorum à ciuitate murata vsque ad villam absq; muro. Et est sensus quòd licet ani aurei fuerint quinque, numerus tamen murium fuit longè maior: quia fuit iuxta numerum non solum ciuitatum, sed etiam iuxta numerum villarum quas possidebant quinque principes Pelisthinorum. Declarando autem vsq; ad quem terminum extenderentur iste villæ, subiungitur. & vsq; ad Abel magnū super quem posuerunt arcam domini, vsq; ad diem hanc in agro Iehosue Bethsemita. Dicitio Abel apud Hebræos sonat luctum vel planiciē, et siquidem legitur planicies, sensus est quòd numerus murium fuit iuxta numerum eorum villarū, quæ erant vsque ad planiciem magnam super quam posuerunt arcam domini. Ita quòd à quatuor describitur vbi posita est arca. primū à lapide magno tanquā loco propriissimo: deinde ab agro Iosue tanquā loco prædicti lapidis: tertio à magna planicie tanquam loco communi, cuius pars erat ille ager: & demū à ciuitate Bethsemes tanquam à proprietate territorij. Si autem legeretur luctus, non potest legi vt luctus est nomen appellatiuū: quia discordaret in genere cum adiectiuo magnū: nam Hebraicè adiectiuum hoc est fœmini generis. Sed oporteret legere luctum vt nomen proprium ciuitatis: ita quòd ipsa Bethsemes appelletur luctus grandis propter subsecutum in ea magnū luctum, & ad differentiam alterius Abel paræ ex qua clamauit mulier ad Ioab. Prima tamen expositio quadrat literæ: nec eget hac adinventione noui nominis ciuitatis Bethsemes: elige tamen quod malueris.

**P**ercussit autem de hominibus Bethsemes, eò quòd vidissent arcam domini. Nihil refert quòd Hebraicè habetur, quia viderunt in arca Iehouah, significatur enim non quòd viderint interiora arcæ, sed quòd curiose inspexerint in ea: quæ elaborata erant ab artificibus tempore Moysi in ea. & percussit de populo septuaginta viros & quinquaginta millia plebis. Iuxta Hebræum legendum est. & percussit in populo septuaginta viros quinquaginta millia virorum. Nec habetur quòd aliqui fuerint ex plebe & aliqui ex populo, sed minor numerus sæpe præponitur maiori: sicut consueuimus dicere septuaginta viros supra quinquaginta millia virorum. Iuxtaq; populum, quia percussit dominus populum plaga magna. Et dixerunt viri Bethsemes: quis poterit stare in conspectu domini Dei sancti huius? Iuxta Hebræum habetur. in conspectu Iehouah Elohim sancti huius?

*huius*: Nominant deum primū nomine proprio, deinde nomine iudicis, & demū à munditia, videntes iudicia eius proficisci à summa mundicia: quia tanquā indignos tanta mundicia percussit populum. Et verè indigni erant vt viderent arcam tam sanctam, & velut rem prophanam tractauerunt eam concurrente ad videndum eam. & ad quem ascendet à vobis? Miseruntq; nuncios ad habitatores Cir' iath Ieharim dicendo. Nomen est ciuitatis, sonans latinè ciuitatem syluarum: & est in sorte tribus Iudæ. redixerunt Pelisthim arcam domini, descendite, facite ascendere eam ad vos.

## CAPVT VII.

**V**enerunt ergo viri Cir' iath Ieharim, & ascendere fecerunt arcam domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Ghibha. Alias diximus quòd Ghibha quandoq; est nomen proprium, & quandoque est nomen appellatiuum significans collem. Hic autem est nomen appellatiuum. nisi enim ciuitatis vna pars fuisset collis, altera planicies, non diceretur in colle: sed ad describendum in qua parte ciuitatis erat domus Abinadab, dicitur quòd intulerunt eam in domum Abinadab in colle. Et hoc est rationabilius quàm intelligere collem esse suburbanum ciuitati. minus enim fuisset honorata arca: quoniam secundum legem Moysis debebat esse in medio populi. Et tu prudēs lector, aduerte quòd in hoc loco fuit arca dei postquam ex Beth'emes translata est: fuit inquam & primo & vltimo, vsquequo Dauid rex transtulit eam. manifestè siquidē scriptura testatur vtrumque: nam & hic narrat de Beth'emes deductam in Cir' iath Ieharim in domum Abinadab in colle. & 2. reg. 6. & 1. paral. 13. clarè dicitur quòd ex hoc loco transtulit ipsam Dauid. An autem in medio tempore fuerit arca Dei alibi, alia quæstio est, tractanda vbi fiet mentio de arca alibi existente. Aduertant tamen studiosi in sacra scriptura, nullam post hanc legi translationem arcæ ante translationem factam à Dauid: quanuis legatur arca semel deducta in castra tempore Saulis. 1. reg. 14. & Elhazarum filium eius sanctificauerunt vt custodiret arcam domini. Leuiticæ stirpis fuisse Abinadab ex officio custodiendi arcam domini insinuat. ritus autem sanctificandi, scriptus est in Leuitico.

**E**t fuit à die qua mansit arca in Cir' iath Ieharim, multiplicati sunt dies: erat quippe iam annus vigesimus. Iuxta Hebræū

habetur. multiplicati sunt dies & fuerunt anni viginti, hoc est à die quo fuit arca in Cir' iath Ieharim, trāserunt multi dies, ita q̄ fuerunt anni viginti. Et significatur tempus subiunctarum actionum populi & Samuelis: quòd videlicet fuerint infra viginti annos à die mansionis arcæ in Cir' iath Ieharim. Hic enim sensus quadrat rebus gestis & sollicitudini ac bonæ famæ Samuelis: vt quàm primum potuerit postquam cessauit clades Beth'emitarum, per viginti annos non destiterit vacare iis quæ ad salutem erant populi. & requieuit. Iuxta Hebræum habetur. & luxerunt omni domus Israel post Iehouah. Ecce prima actio populi infra istos viginti annos: & est actio pœnitentiæ propter offensum deum. ab hac enim incipit Samuel conuertere populum peccatorem.

*Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israel dicendo: si in toto corde vestro reuertimini ad dominum: auferite deos alienos de medio vestri & Hastharoth, & preparate cor vestrum domino & seruite ei soli, & liberabit vos de manu Pelisthinorum.* Ecce secunda actio in illis annis. Et verè consequenter se habet hæc secunda ad primam. vera enim pœnitentia non esset nisi abiicerent deos alienos. Abstulerunt ergo filij Israel Bethalim & Hastharoth: & seruiuerunt domino soli. Hinc clarè apparet quòd infecti erant idolatria multiplici filij Israel.

*Dixitq; Samuel: congregate vniuersum Israel in Mix'pam.* Ecce tertia actio in illis annis. & est proculdubio sermo de Mafpha in tribu Iudæ, vt orem. Iuxta Hebræum habetur. & orabo pro vobis ad dominum. finis enim huius cōgregationis (vt subiungitur) non fuit oratio Samuelis, sed communis ac publica abrenunciatio idolatriæ cum cōfessione & satisfactione. Dicendo autem & orabo pro vobis ad Iehouah, non pontificis officium vsurpat. tum quia propheta erat, & vt propheta oraturuserat ad Iehouah. tum quia non fiebat hæc oratio in templo dei: nam tabernaculū dei erat in Silo, & arca erat in Cir' iath Ieharim: hæc autem congregatio fiebat in Mafpha, vbi nunquàm scriptura tradit fuisse arcam aut tabernaculum. Et congregati sunt in Mix'pam, & hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Iehouah. Noua est hæc cœrimonia, ad significandum sensibili signo totalem abdicationem idolatriæ. ad hoc enim haustam aquam publicè effuderunt coram deo: vt quæadmodū aqua sic abiicitur q̄ nihil eius remanet in vase (non color, non odor, non sapor) ita monstrabant se

sic abdicare Idolatriam, vt nihil eius in ipsis remaneret. Quod autē dicitur in conspectu Iehouah ad testimoniū spectat q̄ in veritate ita intus se habebat quemadmodū foris effundēdo aquam significabant. ac si dictum fuisset quod effuderūt aquam inuocando deum testē, seu tanquā in præsencia Dei insipientiscorda. & ieiunauerūt die illo, & dixerūt ibi peccauimus Iehouah in casu datiuo. Collige has actiones: & perpena de cōfessionē dicendo peccauimus Iehouah, satisfactionem verō ieiunando: signum autē veræ contritionis effusionem aquæ in conspectu dei. Et hic fuit finis cōgregationis istius in Maspha. fuit enim consummatio veræ pœnitentiæ, & cōfirmatio populi sub iudicio Samuelis, propter quod subiungitur. *indicauitq; Semuel filios Israel in Mix pa.* Ex qua sententiā habes tum q̄ Samuel fuerit iudex: tum quod à Samuele tanquam propheta inductus est populus ad hanc publicam professionem pœnitentiæ: tum quod exinde inceptū esse iudex, qui prius erat duntaxat propheta. ad hoc enim insinuādum scribitur officium iudicis in Samuele primū in Maspha, cōgregato ibidem populo ad professionē pœnitentiæ. **E**t audierūt Pelisthim quod cōgregati essent filij Israel in Mix pa, & ascenderunt satrapæ Pelisthim ad Israel. Suspicientes cōgregationem Israelis parituram rebellionem, parauerunt se ad prælium. *Audieruntq; filij Israel, & timuerunt à facie Pelisthim.* Et dixerunt filij Israel ad Semuel: ne cesses pro nobis clamare ad dominum deum nostrum, vt saluet nos de manu Pelisthim. Confidebant in Samuelis oratione quia propheta domini erat. *Tulitq; Semuel agnum lactis vnum, & obtulit illum holocaustum totum domino.* Certè vides Samuelem non sacerdotem sed Leuitam (prophetam tamen) & offerre holocaustum & extra locum tabernaculi domini: videlicet in Maspha. & clamauit Semuel ad dominum pro Israel. non exterioris vocis sono, sed magna cordis deuotione. & exaudiuit eū dominus. Iuxta Hebræum habetur. & respondit ei dominus. Fortè tamen respondere pro exaudire ponitur. nam Hebræi nullum verbum habent significans propriè exaudire. Et fuit cum Semuel offerret holocaustum domino, Pelisthim iniere prælium contra Israel: *intonauit autē dominus.* Cerne hīc quantū valeat oratio prophetæ ad debellandos hostes. *fragore magno.* Hebræicè habetur. *in voce grandi in die illa super Pelisthim.* Magna tonitrua sonasse aduersus Pelisthinos significatur. effectus autē

eorum

eorum subiungitur. & exterruit eos. & cæsi sunt à filiis Israel. Iuxta Hebræum habetur. & reddidit eos attonitos, & fuerunt mortificati in conspectu Israelis. Deus pugnavit primū tonitruis, cum efficacia reddendi Pelisthinos attonitos & mortificandi eos. Et hinc conicitur non fuisse tonitrua pura sed etiam fulmina.

*Egressi q; sunt homines Israel de Mix pa, & persecuti sunt Pelisthinos.* Hinc apparēt duo, alterum quod Pelisthini prælium inierant aduersus ipsam ciuitatem Maspha: alterum quod Israelitæ vidētes Pelisthinos reiectos à deo, egressi è ciuitate persecuti sunt fugientes. & percusserunt eos vsque ad locum qui est sub Beth char. Primæ duæ percussiones fuerunt à deo: hæc autem tertia fuit humanis manibus effecta. *Tulit autem Semuel lapidem vnum, & posuit eum inter Mix pam & inter Sen, & vocauit nomen eius lapis adiutorij: dixitq; hucusque auxiliatus est nobis dominus.* Hic est locus cuius mentio facta est superius. 4. & 5. cap. sub hoc nomine, quod modò impositum est à Samuele.

**E**t humiliati sunt Pelisthim, & non addiderunt vltra vt venirent in terminos Israel: & fuit manus domini contra Pelisthim omnibus diebus Samuelis. Gesta meritis Samuelis à deo, suppugnantur in illis viginti annis. Et redierunt ciuitates quas tulerat Pelisthim ab Israel ad Israel ab Hec non vsque Gath, & terminum earum, liberavit Israel de manu Pelisthinorum, fuitq; pax inter Israel & inter Emoræum. Nec tempore Samsonis nec tempore Heli tantum beneficium collatum legitur Israeli. *Iudicauitq; Israelen cunctis diebus vite sue.* Hinc apparēt quod quauis creatus fuerit Saul rex, non tamen depositus est Samuel à dignitate & autoritate iudicis: quauis non exerceret officium iudicis propter senectutem ob quā creauit regem. Tempore autem quo exercebat officium, ob commoditatem populi (vt in litera subiungitur) annuatim ad tria se conferebat loca ad exercenda iudicia. residentia tamen eius ordinaria erat in Rama vbi natus est. Et ibat per singulos annos & circumibat Beth el & Ghilhal & Mix pam: & iudicabat Israelen in omnibus locis istis. Reuertebaturq; in Ramam (quia ibi erat domus eius) & ibi iudicabat Israelen: & edificauit ibi altare domino. Nec arca dei nec tabernaculum dei legitur aliquando fuisse in Rama, & tamen ibi ædificauit Samuel altare domino.

CAP-

**F** Actum est autem cum senisset Samuel, posuit filios suos iudices super Israel. Et fuit nomen filij eius primogeniti Isael, & nomen secundi Abi'ia: iudicium in Beersēbah.

Locus in quo filij Samuelis iudicabant describitur. Et non ambulauerunt filij eius in viis illius, sed declinauerunt post auaritiam: acceperuntque munera & peruerterunt iudicium. Peccatum filiorum Samuelis circa iudicium describitur rectissimo ordine triplex: videlicet interna cupiditas rerum, exterior accipio munerum, & vtriusque effectus iniustum iudicium.

**C**ongregatiq; sunt omnes seniores Israel: & venerunt ad Samuelem in Ramam. Et dixerunt ei: ecce tu senisti, & filij tui non ambulant in viis tuis, nunc constitue nobis regem vt iudicet nos sicut omnes gentes. Displicuitq; sermo in oculis Samuelis, quo dixerant da nobis regem vt iudicet nos: & orauit Samuel ad dominum. Quauis humaua ratione & passione displicuerit Samueli huiusmodi petitio (quia redundabat in abiectiōe & ipsius & filiorum) attamen deum consulere non est oblitus.

Dixit autem dominus ad Samuelem: audi vocem populi in omnibus qua dicent tibi. Mandat deus fieri regem petente populo: quia bonum absolute petebat consonum legi. quauis non petierint bonū stāte dispositione diuina de seipso rege Israelis. quia non te abiecerunt sed me ne regnem super eos. Verba hæc diuina cōsolatoria sunt Samuelis humano more. declarat siquidē deus Samueli quōd hæc petitio non est directē contra ipsum Samuelem, quia ipse Samuel nō est rex: sed potius est cōtra ipsum deum regnantē super Israel. Vnde et Hebraicē habetur. quia nō te abominati sunt, quia me abominati sunt à regnare super eos. Lege decimum nonum capitulum exodi: & inuenies inter alia pollicita populo à deo, & vos eritis mihi regnum sacerdotum. Regem ergo Israelis deus seipsum exhibere dignatus est, eo ipso quōd promittit si bene egerint quōd erunt ipi deo regnum: regnum enim ad regem refertur. & propterea nunc dicit quōd Israelitæ petendo regem hominē, abominati sunt ipsum Deū regē, tanquam non iuficeret ipse deus rex. Et intellige hæc non secundum intentionem, sed quo ad factum & quo ad rationem affectus. nō enim intendebant abiicere deum regem sed sub ipso habere regem hominem, veruntamen ipsum factum excludebat ab ipsis Israelitis rationē regni relatinē ad deum vt regem.

Ra-

Ratio quoque affectus si fuisset quia lex disposuit populum posse habere regem, irreprehensibilis fuisset: sed non le galis sed & ethnica ratio affertur, dicendo se velle habere regem ad instar aliarum gentium. hinc enim manifestē apparet eos paruipendisse singulare priuilegium Dei quo præstabat cæteris gētibus, in hoc quōd ipsi erant electi & erecti in regnū cuius rex esset Deus. Et propterea assimilat deus hoc factum populi aliis olim factis ab egressu ex Aegypto aduersus ipsum Deum. Iuxta omnia opera qua fecerunt à die quo ascendere feci eos ex Aegypto vsque ad diem hanc, & dereliquerunt me & seruierunt diis alicuius, sic ipsi faciunt etiam tibi. Prius consolatus est Samuelem quōd quantum ad titulum regium non contra ipsum Samuelem sed cōtra Deum agunt: modō cōsolatur eūdem quo ad abiectiōem ipsius Samuelis (ad quam suapte natura tendit petitio regis) ex simili facto cōtra ipsum Deū, dicendo quōd quemadmodum reliquerunt colere me Deum & seruierunt aliis diis, sic faciunt tibi relinquentes te & volentes regem qui iudicet eos. Et nunc audi vocem eorum: ueruntamen contestando cōtestare eis. Verē benignus erga populum Deus, mandando adimpleri petitionem populi, prædeclando ipsi populo omnis generis oppressiōem futuram eis à rege: ne postea pœnitentes citarent se nescisse huiusmodi oppressiōes futuras. & indica eis ius regis. Iuxta Hebraicū habetur. iudicium regis qui regnaturus est super eos. Et attentē annota quōd dicendo ius siue iudicium regis, diminuendo rationem iuris & iudicij dicitur. Ita quōd limitatur iudicium conditione etiam diminuente: & non est sensus quōd infra scripta sint iuris, sed iuris regis: hoc est erunt iuris, quia rex uolet esse ius.

Dixitque Samuel omnia uerba domini ad populum, qui petebant ab eo regem. Et dixit, hoc erit iudicium regis qui regnaturus est super vos: filios vestros tollet, & ponet sibi in curribus suis, facietque eos equites & præcursores curruum suorum. Et constituet sibi principes millenarios & principes quinquagenarios: & aratores agrorum suorum & messorum segetum suarum, & sabros armorum & curruum suorum. Filiasque uestras tollet, in uiguentarias & coquinarias & panificas. Et agros uestros & vineas uestras & oliueta uestra bona tollet: & dabit seruis suis. Et semina uestra & vineas uestras addecimabit: & dabit Eunuchis suis & seruis suis. Seruos etiam uestros & ancillas uestras & inuents uestros bonos & asinos uestros tollet:

tollat: & ponet in opere suo. Pecora vestra addecimabit: & eritis eius  
serui. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri quem elegeritis vo-  
bis: & non exaudiet dominus vos in die illa. Et renuit populus au-  
dire vocem Samuel: & dixerunt, non, sed rex erit super nos. Et erimus  
etiam nos sicut omnes gentes: iudicabitque nos rex noster. & egredietur  
ante nos & pugnabit bella nostra. Audiuitque Samuel omnia  
verba populi: & locutus est ea in auribus domini. Pertinacis popu-  
li sententiam circa habendum regem refert Samuel ad Deum,  
iterum consulendo ipsum: in hoc ostendens se nolle recede-  
re à diuina voluntate.

Dixitque dominus ad Semuelem, audi vocem eorum & constitue  
super eos regem: & ait Samuel ad homines Israel, ite unusquisque in  
ciuitatem suam. Minus scribitur & plus significatur: videlicet  
quod congregabit populum in Maspha pro electione regis.  
miser enim eos lætos (vt pote exauditos) sed ad propria sine  
rege, quia non pro tunc commodum erat iustituere regem.

## CAPVT IX.

**E**T fuit vir de Benjamin nomine Cis filius Abi'iel, filij Zeror,  
filij Bechorath, filij Aph'ach, filij viri Iemini. Alias dixi-  
mus, Iemini poni pro Benjamin. explicatur nanque  
quod paternum genus duxit ex Benjamin. fortis robore. Ad ip-  
sum Cis refertur hoc. Et ei erat filius nomine Saul, electus. Non  
est hic sermo de electione ad cœlestem patriam, sed de ele-  
ctione ad humanas actiones. erat enim non vir gregarius, sed  
inter electos: vt pote prudens & strenuus. & bonus, & non erat  
vir de filiis Israel melior illo. Non solum commendatur à sensu  
& militia, sed etiam à bonitate tanta vt subiugatur quod et si  
haberet pares non tamen haberet meliorem in Israel. Et si sic  
vt sonat litera intelligatur, vel hyperbolica est locutio, vel  
quo ad actiones ciuiles relatiue ad cōmunem populum in-  
telligitur. Dico autem ad cōmunem populum, quia Samuel  
erat melior illo. Et dixi si sic vt sonat litera: quia Hebraica  
dictio quauis bonitatem sonet, pro pulchritudine tamen  
ponitur. extenditur enim apud Hebræos boni nomen & ad  
lætum & ad pulchrum. Vnde crediderim sensum literalem  
esse, & non erat pulchrior illo in Israel. in cuius signum abs-  
que coniunctione aliqua subiungitur. ab humero suo & sur-  
sum celsior omni populo. hoc enim ad manifestandam illius pul-  
chritudinem spectat. exigitur enim ad pulchritudinem ho-  
minis magnitudo corporis: nam parui bene proportionati  
speciosi

speciosi non pulchri sunt. Et ex hoc iuncto præcedenti dicto  
quod non erat pulchrior illo, habetur quod huiusmodi pro-  
ceritas Saulis erat cum proportione membrorum: alioquin  
non fuisset pulcher.

**P**erierant autem asine Cis patri Saul: dixitque Cis ad Saul filium  
suum, tolle quaso tecum vnum de pueris & surge, vade quare  
asinas. Et transiit in montem Eph'raim & in terram Salisa. & nō  
inuenit: transferuntque in terram Sahalim, & non erant. & transi-  
it in terram Iemini, & non inuenit. Ipsi venerunt in terram  
Zaph: & Saul dixit puero qui erat cum eo, veni & reuertamur, ne  
forte dimiserit pater meus asinas & sollicitus sit pro nobis. De di-  
missione curæ est sermo: vt testatur Hebraica veritas, sonās  
nequando cessauerit pater meus ab asinis: hoc est à cura as-  
narum. Et est sensus, ne maior sollicitudo de nobis excludat  
à patre meo solitudinē de asinis. rationabiliter enim vere-  
batur ingerere patri maiorem solitudinem ex nimia mora.  
Et dixit ecce obsecro v. r. Dei est in ciuitate ista. Nomē est Elo-  
him. vir nobilis. Iuxta Hebræum habetur. vir honoratus, omne  
quod loquetur, veniendo veniet: nunc eamus illuc, si forte indicet no-  
bis viam nostram per quam ambulauimus. hoc est fructum inten-  
tum per viam nostram. Dixitque Saul puero suo: ecce ibimus, &  
quid afferemus viro? Non ad precium sed ad honorem hoc re-  
fertur. nam non vendebar Samuel prophetiam: nec viri boni  
(in quorum numero erat Saul) offerrebant prophetæ munus-  
cula vt precium, sed quæadmodū offerunt Deo causa vene-  
rationis. quia panis defecit de vasis nostris, & sportulam non ha-  
bemus. Iuxta Hebræum habetur. & munus non est. Et hinc pa-  
ret quod nō precium, sed munus intendebat offerre. vt affe-  
ramus viro Dei. Nomen est Elohim. Et ratio offerendi tangi-  
tur dicendo viro Elohim. vice enim Dei offerrebant prophæ-  
tæ. nec quicquam aliud. Parui refert quod Hebraicè habetur.  
quid cum nobis: quasi dicat nihil quod offerre valeamus. Rur-  
susque puer respondit Sauli, & dixit: ecce inuenitur in manu mea  
quarta pars stateris argenti. Iuxta Hebræum habetur. quarta pars  
secli argenti, quam dabo viro Dei & indicabit nobis viam nostram.  
Sepe in libris Moysi facta est mentio secli, quod corruptè di-  
citur siclus. habebat siquidem iste nūmum argenteum quin-  
que obolorum dandum viro Elohim. Olim in Israel. Interpo-  
nitur hoc ad intelligentiam subsequentiū in quibus non  
nominabitur vir Elohim sed videns: & quod author, licet

verba Saulis & famuli inter sese referat sub appellatione viri Dei, ipsi tamen utebantur nomine videntis, sic dicebat unusquisque vadens consulere Deum. Nomen est Elohim. venite & eamus vsque ad videntem: qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim vidēs. Dixitq; Saul ad puerum suum, bonus est sermo tuus veni eamus: & ierunt in ciuitatem in qua erat vir Dei. Nomen est Elohim.

Cumq; ascēderent elinum ciuitatis, inuenerunt puellas egrediētes ad hauriendā aquā: & dixerunt eis: num hic est vidēs? Quæ responderunt & dixerunt, est, ecce ante te. hoc est ecce obuius erit tibi. festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem quia sacrificium est hodie populi in excelsu. Iuxta Hebræum habetur. quia sacrificium diei populo in Bama. Et hæc quoque dictio quādoque nomen appellatiuum sonans excelsu, quandoque nomen propriū loci est. Crediderim ego hic esse nomen appellatiuum: & in excelsu sacrificium offerri etiam à viris sanctis, hæc patet. Et appellatur sacrificium diei, quia non durabat nisi vno die: ad differentiam sacrificiorum quibus vacabant diebus multis, continuando diem diei & sacrificium sacrificio. Cum ingressi fueritis ciuitatem, statim inuenietis eum antequam ascēdat excelsu ad vescendum: non enim comedet populus donec ille veniat, quia ipse benedicit hodie, iuxta Hebræum habetur. benedicit sacrificium & postea comedent qui inuitati sunt. Res sacrificata quæ comedenda erat, appellatur sacrificium benedicendū anteq̄ comedant inuitati. & nunc ascēdat, quis hodie reperietis eum. Iuxta Heb. habetur. quia eū sicut hodie reperietis eū. hoc est quia occurret vobis sicut occurrit vobis hic dies. certitudinem occursum manifestare intendūt puellæ ex similitudine occursum hodierni diei. Et ascēderunt in ciuitatem: cumq; peruenissent in medium ciuitatis, ecce Semuel egrediebatur in occursum eorū vt ascēderet in excelsu.

Dominus autem reuelauerat autem Semueli die vna antequam veniret Saul dicendo. Hac ipsa hora quæ nunc est cras mittam virum ad te. Iuxta Hebræum habetur. Sicut tempus cras, mittam tibi virum de terra Biniamin, & unges eum in ducē super populum meum Israel, & saluabit populum meum de manu Pelisthinorum: respexi enim populum meum, quia venit clamor eius ad me. Et est cras genitiui casus: nullaque fit mentio horæ, sed duntaxat temporis diei crastini. Et est sensus, quando erit tempus diei crastini, mittam tibi virum &c.

Cumq;

Cumq; aspexisset Semuel Saulem, dominus allocutus est eū: ecce vir quæ dixi tibi, iste dominabitur populo meo. Accessit autem Saul ad Semuelē in medio portæ. Paulō autē narrauit quod Saul & famulus eius erāt in medio ciuitatis Samuele occurrente obuiam: modō verō dicitur quod appropinquauit Saul ad Samuelem in medio portæ, proculdubio ciuitatis: aduersari siquidē sibi inuicem hæc vidētur. Solutio est quod interpretes causant tantam ambiguitatem: quia Hebraica dictio interpretata in medio interpretāda erat in intra. narratur siquidem prius quod iam intrauerāt ciuitatem quādo Samuel domum exiit & obuius fuit eis: narratur modō vsque ad quā partē ciuitatis ingressi appropinquauerūt Samueli, videlicet ad medium portæ hoc est plateæ quæ erat iuncta portæ ciuitatis. & dixit, indica oro mihi vbi est hic domus videntis. Et respondit Semuel Sauli dicendo: ego sum videns, ascende ante me in excelsu & comedis mecum hodie & dimittam te mane, & omnia quæ sunt in corde tuo annuntiabo tibi. Quādo adimpleuerit hoc Samuel, nō est scriptum: potest tamen intelligi hoc adimplese quando locutus est ei super tectum. Et de asinabus quas perdidisti nudius tertius ne sollicitus sis, quia inuēta sunt: & cui erūt optima quæque Israel, nōne tibi & toti domui patris tui? Non potest se continere Samuel à prænuiciando Sauli futurum regnum Israel. Responditq; Saul & dixit: nōne filius Iemini sum de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias tribus Biniamin? & cur locutus es mihi sermonem istum? Admiratio nis & humilitatis verba sunt argumentantia à tribu & à familia. Recole tamen quod carent superlatiuis Hebræi quibus vitur interpres. Hebraicē enim positiua nomina paruitatis scribuntur.

Assumpsit autem Semuel Saulem & puerum eius, & introduxit eos in triclinium: & dedit eis locum in capite eorum qui erant inuitati, qui erant circiter triginta viri, hospitibus siquidem honorem exhibuit. Dixitque Semuel coquo: da partem quam dedi tibi & præcepi vt reponeres apud te. Leuauique coquus armum. Deficit. & super eum. vel vt alij putant & caudam. Prima tamen lectio magis quadrare videtur: & significare pectusculum quod est super armum. & posuit ante Saul: dixitq; Semuel, ecce quod remāsit pone ante te & comede quia de industria seruatum est tibi quando populum vocaui. Rectē totus hic sensus redditur, & lōgē clarius quā scribatur Hebraicē. Et hinc apparet quod

O iij incertus

Incertus erat die hesterno Samuel de hora qua venturus esset ille homo ex Benjamin qui vngendus erat in ducem Israel. ideo enim quando vocauit populum, seruandam iussit hanc portionem, quia nesciebat an hora conuiuii futurus esset praesens. & propterea dicit quod de industria seruata est ista portio tibi, quauis adhuc ignoto in particulari. & comedit Saul cum Semuele in die illa. Descenderuntque de excelso in ciuitatem: & locutus est cum Saule in solario. Iuxta Heb. habetur. *super tectum*. Quid autem locutus fuerit, non est scriptum: sed creditur quod tunc indicauit Sauli quicquid erat in corde eius, vt promiserat, *strauitque Saul in solario & dormiuit*. Clausula haec superflua est, eo quod in Hebraeo non habetur. *Surrexeruntque mane: & cum dies illucesset, vocauit Semuel Saulem in solarium*. Iuxta Hebraeum habetur. *ad tectum dicendo*. Locus ad quem vocabatur Saul describitur. significatur enim quod ascenderet ad ipsum Samuelem ad tectum, *surge & dimittam te surrexitque Saul, & egressi sunt ambo ipse & Semuel foras*. Cumque descenderet in extrema parte ciuitatis, Semuel dixit ad Saul, *dic puero vt antecedit nos & transeat*. Iuxta Hebraeum habetur. *& transiit*. famulus antecedendo eos. *tu autem subsiste paulisper vt indicem tibi sermonem domini*. Iuxta Hebraeum habetur. *& tu stasicut hodie, & audire faciam te verbum Elohim*. Et est sensus, & tu sta feliciter sicut hodie est dies felicitatis tuae. Non desunt tamen qui transpositam legunt similitudinem, ordinantes eam cum sequenti sententia. Ita vt sensus sit. & sicut hodie audire te faciam verbum Elohim, hoc est ita certum sicut est hodiernus dies, Elige quam malueris constructionem.

## CAPVT X.

*Vlit autem Semuel lenticulam olei & effudit*. Iuxta Hebraeum habetur. *& colauit*. quod minus est quam effundere. *super caput eius, & osculatus est eum: & ait, ecce vnxit te Deus*. Parui refert quod Hebraice habetur. *an non quia vnxit te Iehouah super haereditatem suam in ducem?* Et est sensus, quia non alia ratione fit ista colatio nisi quia summus Deus vnxit te super haereditatem suam in ducem. *Et liberabis populum eius de manibus inimicorum eius qui in circummilitant eius sunt: & hoc tibi signum quia vnxit te dominus in principem*. Vniuersa haec superflua sunt: vt pote quae in Hebraeo non habentur: sed immediatè sequitur.

*In ore tuo hodie à mecum, reperies duos homines iuxta sepulchrum Rachel in termino Benjamin in Zelzach*. Sententia est clara. dicentque tibi, inuenta sunt asinae quas ieras quaesitum & ecce dimisit pater tuus negocium asinarum, & timet vobis dicendo quid faciam de filio meo? Legendum est in casu datiuo. *filio meo*. sollicitudo enim significatur erga filium quasi perditum recuperandum. *Cumque abieris inde & ultra transieris & veneris ad quercum Thabor*. Iuxta Hebraeum habetur. *Elon Thabor*. Aliàs diximus arborem significari quam interpret saepe quercum appellat. *inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Beth el*. Iuxta Hebraeum habetur. *ad Elohim Beth el*. Non est enim sermo de loco appellato Beth el sed de domo Dei quae tunc erat in Silo. ascendebant enim isti cum oblationibus ad Deum in domo Dei. *vnus portans tres hodos, & vnus portans tres tortas panis, & vnus portans lagenam vini*. Et salutabunt te cum pace: *dabuntque tibi duos panes, & accipies de manu eorum*. Postea venies ad collem Dei vbi est statio Philistinorum. Parui refert quod iuxta Hebraeum habetur. *vbi praefecti Philistinorum*. nihil enim aliud significari videtur quam praesidium quod ibi habebant Philistini. in hodiernum siquidem vsque diem retinent principes aliquas arces munitas quauis restituant ciuitates. & sic intelligimus Philistinos & restituisse ciuitates tempore Samuelis, & tamen tenuisse praesidia in aliquibus arcibus. *& cum ingressus fueris ibi urbem*. Iuxta Hebraeum habetur. *& erit sicut venire tuum illuc ad ciuitatem, obuium habebis ceterum prophetarum descendendum de excelso, & ante eos erunt lyra & tympanum & tibia & cithara*. Ante ingressum in ciuitate praenunciatur obuiaturus ceteris prophetarum descendendum de excelso cum instrumentis musicis quatuor ante eos. De nominibus autem instrumentorum non oportet sollicitari: quia ignota sunt nobis quae illo tempore vsui erant. *& ipsi prophetantes*, hoc est diuinas laudes canentes. *Et insuliet in te spiritus domini*. Iuxta Hebraeum habetur. *Et proficiet super te spiritus Iehouah*. Ad instar proficientis describitur diuinus spiritus in homine secundum nouum donum operans, eo quod tanquam prius existens in homine progreditur de bono in melius. non proficit itaque spiritus Dei in seipso, sed in homine. *& prophetabis cum eis: & uerteris in virum alterum*. Discerne effectus spiritus diuini. facit enim exterius prophetare cum



aliis (hoc est cantare diuinas laudes quas prius nesciebat) & intus mutat hominem in virum alterum. *Quādo ergo venerint signa ista tibi, fac quaecumque inuenerit manus tua.* Iuxta Hebræū habetur. *fac tibi quod inueniet manus tua. quia Elohim tecum.* Significanter dicit fac tibi, & nō dicit absolute fac: quia adhuc non erat promulgatus rex. sed in iis quæ ad eum spectabant liberam manifestat facultatem in quocumque occurrētī negotio, quia Deus est gubernator eius.

*Et descendes ante me in Ghalghal.* Hæc verba præsupponunt multa in scriptura tacita: videlicet quod congregato populo promulgabitur rex. nam hoc mādātū descendendi in Ghalghala, ad tempus post promulgationem regis referri, testantur scripta inferius in cap. 13. *ego quippe descendam ad te ut offeras oblationem & immoles victimas pacificas.* Iuxta Hebræum habetur. *ecce ego descendens ad te, ad faciendum ascendere holocaustum, ad sacrificandum sacrificia pacificorum.* Hoc est primum officium ad quod se veterum promittit Samuel. Deinde immediate subiungitur. *septem diebus expectabis usque venire meū ad te.* Ex scriptis quoque in eodē capitulo manifestum est sic esse legendum: ita quod septem dies referuntur ad expectationem. clarē siquidem ibidem dicitur Saulem expectasse septem dies secundum tempus quod dixerat Samuel. *ostendam tibi quid facias.* Parui refert quod Hebraicē habetur. *faciam scire te quæ facies.* Et hoc est alterum officiū quod promittit Samuel: post videlicet oblata sacrificia indicare regi id quod erat factururus ipse rex, proculdubio relatiuē ad regnum. quod magnum fuisset beneficium si adimpletū fuisset. Et tu prudens lector siste, & diligentius confer subiuncta omnia vsque ad tertiumdecimum capitulum: & videbis sensum quidem verborum Samuelis esse quem diximus, sed aliō tendere quā ad scripta in cap. 13. nam quod ibi scribitur, lōge pōst fuit gestum: & ante illud gestum in Ghalghalis, prius conuenerunt in eisdem Ghalghalis Samuel & Saul cum vniuerso populo, cum magna lætitia innouando regnū ut scribitur inferius cap. 11. post superatos Hammonitas. Nō ergo ad conuentum illum referuntur hæc Samuelis verba: sed cum audissent Nahas regem hammonitarum præparare bellum aduersus Israelem, & propterea (vt in cap. 12. manifestatur) Israelitæ petiissent regem, cogitauit prudenter Samuel quod promulgato rege conueniendum esset in Ghalghalis,

ghalis, loco propinquo Iordani: ac per hoc idoneo ad tuendum Israel ab Hammonitis qui erāt trans Iordanem. & propterea mandat ex nūc Sauli vt cum fuerit promulgatus rex, descendat ante ipsum in Ghalghala expectaturus ipsum septem diebus (quibus populus congregandus erat cum virtualibus) promittendo quod ipse sequetur ad duo prædicta officia: hoc est ad sacrificia & ad indicandum ei quid factururus esset ad tuendum Israelem ab Hammonitis. Sed superueniente inopinato nuncio ex Iabes Ghalahad non potuit seruari mandatum hoc. repentino enim opus fuit remedio: vt manifestē subiungitur in cap. 11. Et hic sensus tanquam literalis complectendus est: vt pote rationi & contextui rerum scriptarum ac gestarum consonus, & nihil habens obstaculi. Nisi aliquis putauerit dari à Samuele Sauli mandatum generale vt quoties opus fuerit cōgregare populum, præueniat per septem dies in Ghalghalis quia ipse Samuel subsequetur ad dicta duo exercenda officia.

**E**T fuit cum vertisset humerum suum vt abiret à Semuel, immutauit ei Deus cor aliud. Nomen est Elohim. Vide benignitatem Dei: non expectauit tempus prædictum à Samuele, sed statim vt à Samuele abiit Saul, immutauit ei cor. *et venerunt omnia signa hæc in die illa.* Veneruntque ad prædictum collem. Iuxta Hebræum habetur. Et venerunt illuc ad collem. proculdubio collem Elohim: sed nescimus quare fuerit appellatus collis Elohim. Præmittitur autem aduerbium locale, ad manifestandum quod venerunt ad illum locum quem designauerat Samuel. *et ecce cupiens prophetarum in occursum eius: et insiliit super eum spiritus Dei.* Iuxta Hebræum habetur. *et profecit super eum spiritus Elohim.* Intellige hanc sententiam iuxta prius declarata cum prædixit eam Samuel. Et similiter quod subiungitur. *et prophetauit in medio eorum.* cātavit enim cum prophetis laudes diuinas quas fortē nunquam audiuerat. *Videntes autem omnes qui nouerant eum ab hori & nudius tertius, quod cum prophetis prophetaret, dixerunt adinuicem, quænam res accidit filio Cisi? num & Saul inter prophetas? Responditque vir inde & dixit, & quis pater eorum? Ad augmentum admirationis scribitur huiusmodi colloquium. quidam enim admirabantur considerantes ipsum Saulem, quidam autem spectantes ad patrem: quoniam nec ex parte ipsius nec ex parte patrum videbant rationem prophetandi in*

di in Saule. nulla siquidem erat eis communio cum prophetis. propterea versum est in prouerbum: num & Saul inter prophetas? Cessauit autem prophetare. Verè ad mensuram dat Deus spiritum. & venit in excelsum. iuxta Hebræum habetur. & venit in Bamam. Nomen proprium loci significari puto.

Dixitque patrus Saul ad eum & ad puerum eius, quo abisti? & dixit, ad quarendum asinas, quas cum non inuenissemus, venimus ad Semuelem. Et dixit patrus Saul: indica quæso mihi quid dixit vobis Semuel. Dixitque Saul ad patrum suum, indicando indicauit nobis quòd inuenta essent asina: verbum autem regni nõ indicauit ei quòd dixerat Semuel.

ET cõuocauit Semuel populum ad dominum in Mizpam. Quare hunc locum pro electione regis elegerit Samuel, non est scriptum. Et dicitur cõgregasse in Maspha ad dominum, quia sub titulo diuino fiebat congregatio: quemadmodum etiam Iudi. 20. congregatus quoque scribitur populus ad dominum in Maspha. Quod ideo annotauerim ne hinc sumatur argumentum quòd arca Dei fuerit tunc in Masphamam tempore Iudicum quo cõgregati sunt ad dominum in Maspha, perspicuum est non fuisse ibidem arcam Dei. verum cõgregatio ista Samuelis ea ratione dicitur ad dominum, quia ad audiendum & exequendum verbum domini fiebat. Vnde & Samuel à verbis diuinis incipit alloqui populum: subditur enim. Dixitque ad filios Israel: sic dixit Iehouah Elohe Israel. Sic habetur Hebraicè. ego ascendere feci Israel de Aegypto, & eripui vos de manu Aegyptiorum & de manu omnium regnorum & eorum qui affligebat vos. Vos autem hodie proiecistis dominum Deum vestrum. Iuxta Hebræum habetur. abominati estis Elohe vestrum. quod intellige vt supra expositum est. qui saluat vos ab omnibus malis vestris & angustiis vestris, dixistisque nequaquam. sed regem constitue super nos. Iuxta Hebræum habetur. & dixistis ei quòd regem pones super nos. Hinc habes quòd Samuel nunciauerat populo petenti regem prima vice non solum protestationem iuris regis, sed etiã verba dei dicta ad ipsum Samuelem: videlicet quòd Israelitæ abominati sunt ipsum Deum regem, & cætera. hæc enim modo Samuel commemorat, explicando pertinaciam Israelitarum relatiuè ad Deum, quam superius explicauerat relatiuè ad ipsum Samuelem. talem enim pertinaciam commemorat referèdo & dixistis ei (proculdubio Deo) quòd regem pones super nos. & nunc state

coram

coram domino. Religiosus vsus sortium significatur per stare coram summo deo: vt non ex casu sed ex diuina prouidentia expectarent effectum sortis, eleuatis mentibus in deum & deuotè commèdando causam Deo. per tribus vestras & per familias. Parui refert quòd Hebraicè habetur. & per millia vestra. amplas enim familias à remotissimis auis significat, comprehendentes multas magis speciales familias.

Et applicuit Semuel omnes tribus Israel. Modus huius sortis non est scriptus: & propterea nobis ignotus. & cecidit fors super tribum Biniamin. Iuxta Hebræum habetur. & capta fuit tribus Biniamin. tali enim loquendi modo vitur Hebraica litera. Nec meminit sortis, sed similiter subiungit quòd fuit capta familia, & quòd fuit captus Saul. & certum est quòd non significatur capta corporaliter persona Saulis (cùm esset abiens) & multo minus nec sic capta tribus aut familia: sed modus ignotus est nobis, quia ignota est nobis qualitas sortium. Et applicuit tribus Biniamin per familias eius, & capta est familia Marri: & captus est Saul filius Cis, quæseruntque eum & non est inuentus. Et consulerunt post hæc dominum. Iuxta Hebræum habetur. Et interrogauerunt adhuc in Iehouah. Nota prudens lector, aduerbium, adhuc: quoniam relatiuè ad inquisitionem per sortes, dicitur & interrogauerunt adhuc in Iehouah. vt intelligamus quòd illa per sortes inquisitio futuri regis fuit celebrata in Iehouah. vtrumnam venturus esset illuc. Iuxta Hebræum habetur. si venit adhuc huc vir. Non interrogant futurum: sed præteritum extensum vsque ad presens, an hætenus huc venit Saul. Et est præteriti temporis venit. dixitque dominus, ecce absconditus est domi. Iuxta Hebræum habetur. ecce ipse & absconditus in vasis. Præfens erat, & propterea respondit Deus: ecce ipse. Et quia absconderat se inter multitudinem vasorum, vel in domo vasorum, ideo dicit & absconditus in vasis. Nec est tutù diffinire genus vasorum: quoniam apud Hebræos vasis nomen communissimum est: & propterea non irrationabiliter creditur quòd appellatione vasorum significentur hic res populi qui conuenerat repositæ alienubi. inter illas siquidem quasi sarcinas populi occultauerat se Saul, humilitatis spiritu actus ad indignum se regno profitendum. Cucurreruntque & tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, & altior fuit toto populo

ab

ab humero suo & supra. Et ait Semuel ad totum populum, nōne vidistis quem elegit dominus, quod non est similis ei in toto populo? clamauitq; totus populus & ait, uiuat rex.

Locutusq; est Semuel ad populum iudicium regni, & scripsit in libro & reposuit coram domino. hoc est in tabernaculo domini prope locum ubi positum erat volumen legis scripta à Moise. & dimisit Semuel totum populum, unumquemque in domum suam. Et etiam Saul iuit in domum suam in Ghibham: & ierūt cū eo fortes quorū tetigerat deus cor. Nomen est Elohim. Filij uerò Bels' iahal dixerunt, quid saluabit nos iste? & despexerunt eum & non attulerunt ei munera: ille autem dissimulabat se audire. Iuxta Hebræum habetur. & fuit sicut tacens, hæc enim tacendi prudentia respōdet tribus iniuriis: uidelicet uerborū (num saluabit nos iste?) & cōtemptus, & non oblātū munusculi: quibus omnibus respondet dissimulatio audiendī.

## CAPVT XI.

T factum est quasi post mensem. Superflua sunt hæc,

E sumpta ex Iosepho. nam iuxta Hebræum habetur.

Et ascendit Nachas Hammonites. Primum præclare gestū à Saule rege narratur: & si Iosepho creditur, fuit hoc uño mense post electionem Saulis in regem. & castrametatus est cōtra Iabes Ghibhad. Ciuitas ultra iordanem remota à nouem tribubus Israel, est. dixeruntq; omnes homines Iabes ad Nachas, feri nobiscū fœdus & seruiemus tibi. Et dixit ad eos Nachas Hammonites: in hoc feriam uobiscum fœdus ut etiam omnium uestrum oculos dexteris, ponamq; uos opprobrium in uniuerso Israel. Et dixerunt ad eos seniores Iabes: concede nobis septem dies ut mittamus nuncios ad omnes terminos Israel, & si non fuerit qui defendat nos egrediemur ad te.

Veneruntq; nuncij in Ghibham Saulis, & locuti sunt uerba in auribus populi: & leuauit totus populus uocem suam & fleuit. Et ecce Saul ueniebat post boues ex agro. Quauis electus rex, quia tamē adhuc regnare non cœperat, rurali operi incumbebat. & dixit Saul, quid habet populus quod plorat? & narrauerunt ei uerba uirorum Iabes.

Et insiliit spiritus domini in Saul. Iuxta Hebræum habetur. Et prosperatus est spiritus Elohim super Saul cum audisset uerba hæc. Assimilatur prosperitati donum hoc spiritus diuini, tū quia uelut successus prosper erat relatiuē ad præterita & expectata: tum quia ad prosperitatem regni tendebat no-

ua hæc commotio spiritus Saulis à spiritu diuino. qui aptè nominatur spiritus Elohim, eod quod erat spiritus dei quatenus gubernat & iratus est furor eius ualde. Ecce effectus internus motus animi ad iram. Et hinc habes quod diuinus spiritus mouet quandoque animum hominis ad iram: & consequenter quod ira est instrumentum uirtutis, si moderatè assumitur. mouebat enim spiritus sanctus animum Saulis ad uindictam: & ideo congruum fuit ut faceret ipsum exandescere. Et assumpsit utrunque bouem. Clarius dixisset ut habetur Hebraicè, Et accepit par bouem. ne uideretur significari quod duos tantum boues habuerit. & in frustra coacit illud: misitq; in omnes terminos Israel per manum nūciorum dicendo, qui non exierit post Saul & Semuel sic fiet bobus eius. Hinc conuicitur uerum esse quod diximus: uidelicet quod inter Saulē & Samuelem habitus fuerat sermo de exercitu congregando ad occurrēdum Hammonitis. hoc enim innunt Saulis uerba, ex improuio sonantia quod populus egrediatur ad bellum sequendo ipsum Saulem & Samuelem. inuasit ergo timor domini populum. Parui refert quod Hebraicè habetur. & cecidit timor Ichouah super populum. Non timor perdedi boues sed timor dei narratur mouēs populum: ut uerè comprobetur prosperitas spiritus mouētis Saulem. & egressi sunt tanquam uir unus. Et recensuit eos in Bex ec: fueruntq; filiorum Israel trecenta millia, & uirorum Iehude triginta millia. Et dixerunt nuncius qui uenerat: sic dicetis uiris Iabes Ghibhad, cras erit uobis salus cum incaluerit sol. Vide quā celeriter fuerit congregatio tantæ multitudinis & facta & ducta ad locum idoneum: hoc est ad Iordanis ripam. ut reor sic deceptus est Nahas rex Hammonitarum, putans eos non posse tam citò occurrere. ueneruntq; nuncij & nunciauerūt uiris Iabes, & letati sunt. Et dixerunt uiri Iabes: manē exhibimus ad uos, & facietis nobis omne quod bonum est in oculis uestris.

Et fuit cum uenisset dies crastinus, disposuit Saul populum in tres partes. Parui refert quod Hebraicè habetur. in tria capita. in idem enim redit sentētia. & ingressus est media castra. proculdubio Hammonitarum. in uigilia matutina. hoc est in custodia matutina quæ est uelima custodia noctis. Et hinc apparet prudentia Saulis nocte siquidem magnum iter peregerunt ut ex improuio aggredēdum hostes dormiētēs: semper enim similis celeritas peperit uictoriā. & percussit Ham-